

COMMENTATIO
IN
STILUM,

112
EJUSQUE
TRIPLICEM CHARACTEREM,
Quam,

ADJUVANTE DEO

Consentiente vero Amplissimâ Facul-
tate Philosophicâ,

In Regiâ Academiâ Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO

M. CHRISTIERNI
ALANDRI,

Eloqv. Professoris Ordinarii,

*publici speciminis loco æqvis bonisq; exami-
nandam modestè exhibet*

S. R. M. Alumnus

MAGNUS AURICOLA,
Helsingforsîa - Nylandus.

Ad diem, (si DEO ita visum fuerit),

20 Maji, Anni 1699.

Impr. apud Jo. LAURENT. WALLIUM.

SACRÆ REGIÆ MAJESTA

Generosissimo Nobilissimoque

DN. ABRAHAMO

Kronhiort/

LIB. BARONI de

DOMINO in

Nylandensium Tavastensiumque

GUBERNATORI Gravissimo.

Literarum Promotori & Mæcenati ut
certissimo ita humilima animi subje-
ctione æternum devenerando.

O Themidos magnum lumen clemensque
Patrone,

*Quem jure & merito Fennica terra colit
Audeat inflexo nunc servus poplite supplex
Vultum Mæcenæ optime adire tuum
Contendo veniam qui sum juveniliter ausus
Exigui pretii dona parare tibi
Da mihi te facilem, tu nostris annue votis
Sic tua laus, nullo, sit peritura die,
Fata prospera precatur*

cultor devotiss.

Magnus Auricola,

TIS MAGNÆ FIDEI VIRIS,

Reverendiss: in CHRISTO Patri ac Domino,

DN. PETRO LAUR-

B E C C H I O,

S.S. Theologiæ DOCTORI eminentissimo,
Ampliss: Diœces. Wiburgensis PRÆSULI
celeberrimo, Consist. Eccl. ibid. PRÆSIDI
longe gravissimo, Patrono magno, de-
vota animi veneratione æternum
suspiciendo.

PRÆSUL *Santistes gelidâ venerande sub arcto,*
Qui tradis verae religionis iter
Accipias blando juvenilia vota favore,
Et des primitiis vela secunda meis:
Accipies quem tibi, mæcenas, nunc consecro
totum,
Hunc animum: assiduus mente manaque
cliens
Munera quæ male digna fero si lumine lustres
Astra meis votis, non inimica querar.
Exerc. hoc Acad. humil. dedicat.
cliens humillimus
Magnus Auricola.

Nec non

Plurimum Reverendis Clarissimisque VIRIS,

DN. M. ANDREÆ IGNATIO,

Celeb. Civitat. Helsingforsensis PASTORI,
adjacentiumque Ecclesiar. PRÆPOSITO
meritissimo, PATRONO ac NUTRITIO
meo maximè honorando,

DN. M. GEORGIO RZJSE/

Pastori ac Præposito in Tempſâ veneran-
do, Affini & Benefactori gratissimâ,
mente commemorando.

*V*obis quoque Patroni æstimatissimi exerci-
tium leve hoc Academiaicum inscribo ut sint
hæ tenues pagellæ testes me nolle vel esse vel di-
ci ingratum. Sicut enim ingenuè confiteor, Te,
Patrone propensissime, post Numen mea for-
tune fabrum esse, Tua vero Avuncule di-
lectissime, multa imo maxima in me esse col-
lata beneficia, ita & hisce lineis quantum Vo-
bis debeam, declaratum volo. Cælum sideraque
qui regit Vestra gubernet fata, eadem Vos
quoque tandem benigne ut excipiant est,
quod vovet,

Auctor & Respondens.

The Edle / Högwijsse/
Ehreborne / Wälwijsse och

Herz Johan Laurentz / Kongl. May. &
Troo-Tienare och Justitiæ Borg-
Mästare i Stapelstaden Helsingfors.

Herz Petter Stolpe / Kongl. May. &
Troo-Tienare och Landz- Secrete-
rare.

Herz Erich Helsing / Wälbetrodd
Krijgz-Mans Huus Bookhållare öf-
wer Finland.

Herz Råd-Man Torsten Burgman /
sin högtåhrade Swäger.

Herz Befallningzman Johan Ha-
gert / sin åhrade Gynnare.

Herz Befallningsman Petter For-
Steen / sin åhrade Cousin och ålske-
lige Frände.

Herz HandelsMan Johan Kort-
Man / sin beshynerlige Gynnare.

Högachtade / WälAgfarne
WälAchtade Herrar

Herz Hans Godhe / Kongl. Man. &
Troo-Tienare och Landz-Camrarerare
i Helsingfors.

Herz Gabriel Hinderfon / Wälach-
tad RådMan och Cämmer-Præles
bersammastådes.

Herz Råd-Man Johan Burtz /
sin tilförlätelige Gynnare.

Herz Johan Archenholt / Stadz-Secr.
i benämde Stad / sin gunstige Gynnare.

Herz Befallningzman Fredrich A-
xelson / sin åhrade Gynnare.

Herz HandelsMan Hans Burg-
man / sin högtåhrade Swäger.

Herz HandelsMan Petter Burg-
Man / sin högtåhrade Swäger.

Höge Patroner och Mån med Gunstige
Herrar och Wänner
Ehr med wördnad och plickt iag mig
råds skyldig erkänner/

För de märckliga prof/ Ehr tåcktz mig rundliga
gifwa/

Af Eder Ynnest och Gunst den iag ei mächtat be-
skrifwa/

Allt uti Edmiukt minne iag har/ ty mehr iag ey äger
Och än wijsdare mig Ehr tiensl och wördnad tillsäger/
Så wijsda iag ther til/ kan krafterne dugliga pröfwa/
Och til sligte behof mig framgeent skicka och öfwa/
Dy tagē upp med gunst mit wälmente arbete ringa
Dem iag tillskriswa bort/ å den Ort iag mehr haf-
wer inga/

Som mehra wördna förtient än Ehr iag skyldigst
upräcknar/

Och på detta papper mig Edmiukt tillsör sicht recknar.
GUD gifw' Sialenes Nöye och Frögd så länge wid
lifwe

J ären/ at Eder roo och hugnad stadiga blifwa
Til den wäntade tijd när Gud sidst tänck er en anda
Ödra med Eder lif/ han tåcktes Englarna sända
Som Eder upp til sig månd hämta bland Helgonen
andra

Önskar af hiertat at J med frögd de wägarna
wandra.

Således at wijsa sin skyldige tack samhet
dessa ringa wärck updrager

MAGNUS AURICOLA, S. R. M. AL.

LECTOR BENEVOLE, SALVE!



N literis progressum facturo, omnia subtilitate prosequi impossibile est; quod ipsum mihi non ut ambitioso, sed qualicunque ratione instigato, in theatrum Disputatorium progredi volenti, ingenii acuendi gratia, omnino addit calcar & ad majora incitamentum. Nihil, autem, prorsus, vel hoc erigeret, aut servaret, nisi pia Scriptorum sollicitudo & triumphatrix inertie diligentia, precipuum inter legendum & scribendum occupans locum, exempla clarissimorum Majorum, que fomenta sunt virtutis ad posteros transmisisset: Sed utrum jam horum nobilius, lectio aut scriptio, ambigi poterit? Legentibus multe elabuntur sententiae, quippe moras non patitur lectio; Quod, autem, scriptum habetur, semper vacat ad legendum, cum vacat legenti; nec operosum est, dum praesens est; sed si velis accipitur, si velis seponitur; imo, vox audita perit, littera scripta manet: Ejusmodi autem Scri-

2
ptionis Character, non uno se habere, nec
potest, nec debet, modo, quin ergo, plerumq;
pro triplici Materia natura, est, vel humilis,
vel mediocris, vel grandis; dum vero hae
dicendi genera, (ut ait Keckermannus) inter
se miscentur, sicut Musici Tonos miscent, mi-
xtus adpellari solet. Hanc materiam, vi-
ribus aptavi meis, idque, ut suadet Hora-
tius de arte Poet: v. 32.

Sumite materiam, vestris qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre reculent,
Quid valeant humeri - - - -

Hanc, inquam, enucleandam cecepi, non ut
debui sed ut potui, nullus dubitans, multos
hoc meum quaecumque conamen, malignam
in partem interpretaturos, cum nullam exi-
stimem in lucem edi scripturam, cui nul-
lus quidquam plane contradicat, sed, ta-
men, ex adverso, jam ipsimet mihi im-
pense gratulor, de tot mihi benedolentium
benignitate, quibus ut placeam, unice do-
fidero.

MEMO

MEMBRUM GENERALIUS.

THESIS I.



leniorem *Stili* tractationem, antequam aggredimur, *distinctionem* sequentem, ceu perbreve[m] quandam *παρεσκευσὴν*, si pratermittimus, non inconueniens erit scilicet, *Stilum* nos primo *distingvimus*, tum pro ratione *Objecti*, seu *materiae circa quam versatur*, de quo nobis postea in Membro Specialiori, seu ubi de *triplici Stili Charactere* agendum; tum ratione *scribentium*, vel ut ita dicam, ipsius *subjecti*, quomodo *Stilus* est, vel *Philosophicus*, vel *Poeticus*, vel *Historicus*, vel *Oratorius*, de quo postremo nobis nunc est sermo. Deinde *Stilum Oratorium* affirmamus esse, vel *dicendi*, vel *scribendi*, interim tamen, de *hoc*, non de *illo*, sequentia per pauca annotabimus.

THES. II.

Sic a cæteris, separato *Stilo scribendi Oratorio*, statim, juxta methodum usitatam, Definitionem ejusdem Nominalē exponamus: Descendit autem vox *Stili*, vel etiam *Styli*, a græco vocabulo $\sigma\tau\acute{\upsilon}\lambda\omicron\varsigma$, quod vicissim Becmanus de originibus lingvæ latinæ, ab $\acute{\iota}\sigma\eta\mu\iota$, traditione græcorum deducit: erat, vero, *Stilus* teste Cicerone Turnebo, cæterisque *instrumentum quondam, vel insculpendi ferreum, ceu multis ex locis, in Sacro Codice, videre est, vel scribendi osseum, aliis ligneum, cujus parte acuta, in tabellis cereis pugilaribusque suis scribebant; Obtusa, vero, scripta complanabant.* De qua re quoque, non obscure memorat Plautus in Bacchidibus, dum *efferre cito Stilum, ceram, tabellas* jubet.

THES. III.

Jam varia, vocabuli ipsius *Stilē* acceptio, enodanda venit, quia id, nunc propriam, nunc tropicam significationem,

nem, subire sivevit. Unde 1. *Stilus* apud Priscos quondam Romanos, κύ-
 εως & proprie appellatur *Columna*, vel
 quodlibet *acuminatus ferreus* vel *lign-*
um; De quo confer dictum illud Eu-
 ripidis, εὐλοὶ γὰρ οἴκων εἰσιπυῖδες ἄρσενες:
 Hoc est: *Filii mares Columnæ sunt familie.*
 2. Apud eosdem accipiebatur non solum
 pro *instrumento scribendi literario*, ut in
 thesi præcedenti jam jam diximus, sed
 & *bellico*, utpote muricibus, stimulis, five
 machinulis ferreis, dolosis, tetragona
 formâ, quæ, in quamcuncq; incubuerint
 partem, unum, aut plures aculeos in-
 festos, protendunt. Svetice *Footan-*
glar. 3. Genus est ipsum *forma & modus*
scriptiois: qua ratione, Terentius in Pro-
 logo *Andriæ*, infert, *comedias Andriam &*
Perinthiam, non adeo dissimili argumento,
 sed tamen dissimili oratione, factas esse ac
 stilo. Sic & Cicero orationes Attico sti-
 lo conscriptas esse pronunciat: Hinc *stilus*
pressus demissusque vocatur, *stili acumen*,
stilus negligens & rudis. 4. *Excercitationem*
scribendi involvit stilus idque apud Cice-
 ornem

ronem libro primo de Oratore cap. 33.
Stilus optimus ac præstantissimus dicendi ef-
fector ac Magister nuncupatur; & Quin-
tilianus libro 10. cap. 3. Orationem no-
bis formandam esse, cum exercitatione seu
stilo, innuit. Ad hæc Clarissimo olim;
jam vero in cælis beatissimo Martino
Miltopæo itidem stilus exercitatio voca-
tur, diligentiamque scribendi necessa-
rio requirit. Et hæc ultima acceptio,
nobis, negotium potissimum, hac vi-
ce, facescit, vel curæ cordique erit
Synonyma, etiam vocabula stiloque æ-
quipollentia, hic recensere nonnulla,
eaque utilissima, nobis haud grave e-
rit; talia, licet, ex præcedentibus reu-
ceant per plurima: ut Excercitatio scribendi
facultas & ratio scribendi: dicendi Magister,
effector ac opifex, exercitium scribendi: a-
lias etiam dicitur peritia ac promptitudo
scribendi; operatio & affectio rei Oratoriae,
& quæ sunt plura.

THES. IV.

Hicce ita breviter delineatis, stilum sic definimus. *Stilus est facultas prompte decoreque consignandi scripto, quicquid animo concipitur*: Quam definitionem ut cæteras, Genere & differentiâ sequenti modo, fundatam volumus: Genere, quidem, dum dicitur *stilus, facultas*, seu modus & ratio scribendi. Quintilianus ait libro 2. institutionum oratoriarum cap. 7. *Lectiorem solerter absolutam, comitari debere hanc facultatem scribendi, ut, quæ est, firmissimum genus dicendi*: ita, sane, sine hac, volubilis oris promptitudo, æstimationem mereatur nullam: Facultas, namque, *hec sola, Lydius ille lapis est, ad quem, notitia linguarum exigi debet ac referri*; vide plura hac de re ex Scheffero. Differentiam exprimunt verba sequentia, videlicet: *promptè decoreque*; &c. quæ distinguunt *stilum*, non solum oratorium a cæteris, verum & oratoriam facultatem dicendi, a *stilo scribendi*: Hoc mo-

do, quatenus exempli loco, *stilus Philosophicus*, ut & alii, res & objecta circa quæ versantur, & quæcunque explicant, ea, modo saltem simplici, vel admodum subtili, aut vulgari, explicant. *Oratorius*, autem, verba habet exquisita, figuras tempestivas decorasque totus quoque factus est, ad majestatem vim & efficaciam. Sequitur jam, ut de ortu *stili* nonnulla agamus: Cicero, quidem, initium orandi conditoribus urbium ac legumlatoribus dedit, in quibus fuisse vim dicendi necesse est: sed mox, eam refutans sententiam, *cur tamen*, inquit, *hanc primam originem putent, non video, cum sint adhuc quædam vaga, & sine urbibus, ac sine legibus gentes, & tamen, qui sunt in his nati, & legationibus fungantur, & accusent aliqua ac defendant, & denique alium alio melius loqui credant.* *Stilum*, itaque ortum suum, non contrariante Natura, ab hominum instituto originem ducere, vi & ope divina, nemo non affirmet; ratiocinio sequenti nixus; si, nimirum, Nomina & Ethy-

inologiae rerum, partim, ab ipsa natura, partim ab impositione fuere d
promptae, necesse erit, vocabulorum
rerum elegantes structuras & *Stilum*
non unice a Naturae fonte, sed, quae
maxime hominum solertia, quoque
riri; verum, autem, est prius, ergo
& posterius.

THESIS. V.

Ex hisce praedictis, tria, jam
praecipue stilo operam navanti, necesse
saria esse, sequitur: *Φύσις*, scilicet *ἔσθησις*,
& *μαθήσις*, Naturam, artem & e
cercitationem: Natura, a propitii N
minis benignitate, proficiscitur, &
imprimendum *Stili* habitum, vim o
rinet longe maximam, ceu mox pat
bit, ex paucissimis, in Thesi, de su
jecto *Stili* adferendis: Natura, ver
sine artis praecipis, erronea ac nesc
est, licet magni quidam viri, absque
artis Tyrocinio, naturae habitu pro
divino, facultatem scribendi, consec
sint; nihilominus, si ad naturae prae
claram indolem, accesserit ratio quae

dam conformatioque scribendi, tum demum, solidas certasque vires accipit *stilus*, utut præterea, & recte quidem, Cicero, *magnum huic operi in natura præsidium esse*, fateatur: Artem, tamen, certiozem esse ducem concedit; cujus rei veritatem testamur & nos, respicientes homines, vel artis doctrinæque expertes, nullis disciplinis ex cultos solius Naturæ benignitati confisos, quam miserè illi sese, cum aliquid scribere volunt, torquent, cruciant, affligunt: vel præceptis artium eruditos, qui normam sequuntur, intra præfinita legum spatia & terminos sese constringunt, facillique & certa via, metam, quam sibi proposuerunt, assequuntur; non eo, tantum, nomine beati, quod in vecto curriculo versantur, sed, quod versari se in eo, bona ratione, & tanquam per ducem itineris & Mercurialem in viâ statuam, ipsi cognoscunt. Natura, sanè, sibi relicta, sæpè in errorem perducit, ars, autem rem penitus perspicere planequè cogno-

gnosceret, & certa, ab opinionis varietate, sejungere, scientiaque infallibili comprehendere quæque docet. Arte in *Stilo* excellentissimi evasere, viri, quondam Clarissimi, Cicero cæterique de quibus uberius paulo, in membro specialiori fiet mentio: Præcepta, hujus artis scribendi, singula, recensere, cum nimis prolixum foret, sicco prætereundum esse putamus pede; scilicet quod minime nostrum sit propositum. Hactenus diximus, naturam incipere, artemque dirigere, jam, quomodo hæc omnia perficiat usus & exercitatio, dispiciendum venit; de hac Poeta Ovidius, ita :

Solus est artifices qui facit usus erat.

Graviter ad hæc Orator, *Nec Imperatores, nec Oratores, quàmvis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum consecuturos fore, sine usu asseverat:* adhibens rationem, cum, scilicet, *ars, ab experimentis nata sit, & in omni disciplina, minus valeant præcepta, quam experimenta.*

ТН. VI.

Exercitatio illa, jam nominata, le-
 ctionem, auscultationem, imitationem
 & diligentiam scribendi, omninò requi-
 rit: prioribus omissis, de ultimâ, seu scri-
 ptione crebrâ, verba facere nonnulla,
 conabimur; Ceu in quâ, haud parum
 occupatus est *Stilus*, cum & scriptio-
 nem frequentem atque indefessam, *Stili*
 esse exercitationem, cæterarum omni-
 um maxime necessariam, dijudicet,
 Schefferus; Alii quoque clarissimi Au-
 tores: scriptionem, stantes, in tan-
 tum lectioni præstare, in quantum Le-
 ctio auditioni; Quare, Cicero in Brut:
nullam rem, ait, ad discendum tantum pro-
ficere, quantum scriptionem. Et Fabius
 Libro I. Cap. 1. infert, *præcipuum in Stu-*
diis esse profectum, & altis radicibus nixum,
scribere; illic enim radices, illic fundamenta
esse; Et Libro, præterea, 10: cap. 1. *E-*
loquentiam solidam atque robustam, non esse
pronutiat, nisi multo stilo vires acceperit;
 Hoc itidem monet Quintilianus Lib. X.
 cap. 3. *Scribendum, scilicet, quod sit, quam*
di-

diligentiſſimè, ad motâ ratione: ut, etenim terra altius effoſſa, generandis alendisqve ſeminibus fecundior ſit, ſic profectus, à ſummo petitus, ſtudiorum fructus & fundit uberius, & fidelius continet; Huic Quintiliani monito, ſe, obedientiam præſtitiffe reſtatur Atticus apud Ciceronem in Bruto; quâ occasione, Svetonius de Auguſto refert, quod hic in Mutinienſi bello, inter medios belli furorẽs, ſtrepitus atq; tumultus, & tegeat & ſcripſerit & declamaverit. Deniquè ſcribendum eſt etiam Optime, monente Fabio, lib. 10. cap. 3. & Plin. lib. 35. c. 10.

THES. VII.

Sic pro viribus tenuiſſimis, ſcriptio-
ne enucleatâ, nunc quoque de *Subjeçto*,
Objeçto, *Adjunctis*, & *Fine Stili*, ſuccinctè
ſolliciti erimus, eſt autem, *Stili*, *ſubjeçtum*
in hæſionis, ingenium humanum, cujus na-
tura, indolem facit facilem, de hiſce Pli-
nius, lib. 7. Epist. 9. ut, enim, terra, va-
riis multisque ſeminibus, ita ingenia
noſtra, nunc hæc, nunc illa meditatio-
ne, recoluntur; hæc de re fuſius conſu-
len-

4
lendus est Neuhusius. *Objectum Stili*
idem est ac Orationis, quid enim *Stilus*
nisi tacita Oratio, vel tacitus, inter ab-
sentes, sermo, vel præstantior sermone,
ceu quo multa occultari possunt, quæ
scriptione clarius apparent. Oratoris,
autem, *objectum* cum sit res unaquæq;
Græcis *εκαστον* : necesse est & *Stilum*, cir-
ca omnia occupari, tam divina, quam
humana. *Adjuncta Stili* Oratori, sunt or-
namenta perplurima, eundem, præ cæ-
teris *Stili* generibus condecorantia; ut
sunt magnificentia, gravitas, splendor,
majestas, vis & efficacia, ornatus, vigor,
sicut dicit Seneca. *stimuli*, item Ora-
tionis auctoritas; sic Cicero: Oratoris
proprium esse copiosè compositequè di-
cere; Hæc, *Stilum* Oratorium, à cæ-
teris, distinctum reddunt; hæc, totum
Stili habitum, elegantissimè declarant.
Finis & Scopus Stili, verbis innuitur in de-
finitione hisce; *Consignare Scripto promptè,*
decorè venustequè omnia; Sive, quod i-
dem est, quomodò & dicit non nemo;
tabulam animi proponit Stilus. Sic Ge-
ne-

neralia hæc, brevissimis & paucissimis indicasse, sufficiat, cum animus non fuerit in iis diu morari, sed viam saltem ad membrum sequens specialius præparare, ea breviter percurrendo, quæ ad accuratam *triplicis Stili Characteris* cognitionem, omninò, scitu necessaria, eandem illustrantia ac illuminantia videbantur, idq; inverso licet fecisse videar ordine, justo tamen, & rei naturæ convenienti, factum est, quid, enim, expedit nobis notitia *triplicis Characteris*? ubi ipsum *Stilum* ignoramus, quid sit, & quomodo definiatur; Qui proindè breviter (ut factum est) nobis expendendus fuit. Ut pote totam (analogicè sic dictum) antequam partium seu affectionum ejusdem mentio fieri potuit. Esto, itaque, membrum, pro modulo ingenii absolutum

GENERALIUS, sequitur

SPECIALIUS;

THESIS I.

Propriæ & præcipuæ Elocutionis Rhetoricæ pars est ea, quæ tractat de *Orationis Characteribus & ejus affectionibus.*

De.

Desumpta autem est vox *Characteris*, ab animantibus, cerâ, vasis aliisque, quibus nota imprimi, aut insculpi, vel inuri, solet; ita Columella libro XI. cap. 12. *Nec minus, inquit, majora quadrupedia, Characterere signari debent, Maro pro Characterere Notas dixit. Anacreonti κάραγμα vocatur. Synonyma Characteris styli sunt, ἀρετὴ τῆς λόγου, εἶδος καὶ ἰδέα λόγου, i. e. figura, genus & forma Orationis Hermogeni per similitudinem Character Orationis; Est autem Character, (ut pictura, rei imago) est, inquam, dictio similis rei, cujus nota est, substantia, quantitate, qualitate, ut eum accuratius, cum Julio Scaligero definiamus; quam definitionem, illustrasse eum, descriptione famæ, quæ apud Virgilium est, testis est, excellentissimus Wossius, in Instit. Orat. est, inquit, in fama, substantia sua monstrum, est, Quantitas ingens, est qualitas horrendum; rei dictio similis; Namque in hac voce monstrum, asperitas est, in hac, ignes magnitudo, in hac horrendum, sane horror.*

TRES. II.

Oritur, autem, *Character* ejusmodi *ditionis*, ex materialium diversitate, quæ cum vario modo variet, necesse est & *Stylum* variari. Nam, ut huc referam verba Excellentissimi Wossii, *quemadmodum, alius ornatus Principi, alius privato, convenit, aliudque Schema militem, aliud mercatorem, aliud agricolam, aliud Philosophum, condecet, ita neque omnis materia eodem tractanda est modo.* Ita, cum verba sint signa rerum, Oratoris est rebus accommodare dictionem; sic causam tenuem, potissimum decebit genus humile, in causa gravi utemur genere Grandi, mediocri convenit Genus temperatum. Nec Solum, in diversis causis, diverso utimur Characterere, sed ut auctor est Fabius, etiam *in eadem Oratione, gener ad diversa locum habent*; Siquidem Orator, ad conciliandum mediocri, ad docendum humili, ad concitandum vehementi utitur Characterere. Dionys. Halicarnass. libro *ἑβδόμητος*, dictionis characterem vult attemperandum esse qualitati, aliaque

sublimi, alia mediocri, alia humili exponenda esse *Stilo*. Cassiodorus, non necesse esse, inquit, unum *Stilum* sumere, cum *Personas varias* susceperimus; Ne scilicet, Ceu monet Theon de magnificis *submissè*, de parvis *latè*, de vilibus *graviter* differamus. Horatius quoque jubet *Stilum* saepe *vertere*, prout postulare res, de qua agitur, videtur. Ad hæc omnia, ipse Cicero, à triplici *Charactere Eloquentem* definit, qui & *subtilia humiliter*, & *magna graviter*, & *mediocria temperatè* possit dicere.

THESIS III.

Character Stili triplex est, *Grandis* sive *sublimis*, *humilis* sive *tenuis* & *mediocris* imo, *tria* saltem esse *dicendi genera*, velexinde probo. Scil. cum *tria præcipua* sint *Oratoris officia*, *docere*, *delectare*, & *flectere*, ceu *movere*: *humile* in *probando*, *Grande* in *flectendo* *medium* v. in *delectando*, *adhibeatur*, necesse est. *Plura* qui *statuunt*, esse *eadem*, minus recte *stataunt*, idq; *inductione rerum omnium*, vel & à *posteriori* *stabilire* possumus

quip-

quippè cum nullæ dentur, res ad horum quoddam quæ referri non possunt; cæteraque omnia dicendi genera, sub his tribus contineri queant. Rectè, igitur, Aufonius

Trinum dicendi Genus est sublime modestum

Et tenui filo --- --- ---

Inquit. Injustè, autem, quatuor dicendi modos, constituit Aristot. lib. 3. Rhet. c. 4. ut & Hermogenes, cui septem dicendi formas ceu ideas numerare placuit, *σεφήνεσσαν* videl. μέγιστος καὶ ἀλλοτρίως, *σοφότητα ἤθος, ἀλήθειαν, καὶ δεινότητα*, cum, tamen, hæ omnes, *affectionum* potius quàm *Characterum* nomine veniant, ceu infra paulo fusius demonstrabimus. Fallò quoque Dionysius, septem *Characteres*, & Cicero quinque esse *Lumina verborum*, putavere, cum hæc omnia supradictis tribus, (ceu modo dixi) includi possint. Imò, divisiones hæ, etsi inter se differre videantur, re ipsa tamen cum usitata conveniunt, quâ tria dicendi Genera constituuntur; nam, ad *Grave dicendi Genus*, referri potest *ornatum, illustre, magnū*

atque plenum ; ad *intermedium*, id quod *probabile, suave, pulcrum & moratum* nominatur. Ad *tenue*, autem, quod alias *Latinum, planum dilucidum, breve velox*, appellatur.

THES. IV.

Justo igitur ordine de *Charactere sublimi & ejusdem affectionibus* nobis nunc agendum. Est, autem, *Character Grandis*, qui magna ex parte, proprio licet sermone constet, *tropos, tamen, figuras & Schemata*, habet crebriora ac vehementiora, ceteris copiosius amplificat, & quasi de industria ostentat ornatum. Insignitur & aliis nominibus cum Latinis, utpote, *Ciceroni, copiosus, magnificus, sublimis itemque ornatus, amplus, magniloquus, altiloquus, aliis magnus, altus, summus*, multis quoque plenus vel uber, imò & cornificio *Gravis*. Denique, *Julio Scaligero*, id ipsum dicendi genus, *Generosum* vocatur : Tum *Græcis, & quidem Dionysio Longino, ὑψος*, *Marcellino* qui *Thucididis* vitam scripsit *ὑψηλός* dicitur, *Aristoteli ὕψος* quo non inflatio significatur, sed ora-

tionis amplitudo. Nam utitur hac voce in bonam partem uti & Hermogenes. *μεγαλοπρεπής* ab iisdem vocitatur & *ἀδρός*, imo *λόγιος*, quia eo plurimū uterentur homines disertī, unde & facundus Atlantis Nepos *λογίης* nomen indeptus est. Insuper nominatur & *σεμνός*, quæ vox honoris ac pompæ plenum significat. Atque eidem Hermogeni, non semel vocatur *ἀξίωμα* quia magnitudo orationis non debet esse expers dignitati.

THES. V.

In quolibet *Charactere*, seu unaquaq̃ figura 3:º consideranda est *Res*, deinde, *verba*, & *compositio*. *Res* quibus convenit *Character Grandis* sunt *sententiæ de DEO & rebus divinis*, quæ duplices, aliæ Poëticæ voluptatem habentes: aliæ, vero, quæ in civili Oratione locum habent quæ vel sunt Philosophicæ, vel Theologicæ, quæ ex sacro hauriuntur fonte. Præterea, sunt *sententiæ Graves*, de *rebus naturalibus*, sed *magnis, inusitatis ac raris*, ut *fulmine, terre motu*, & similibus ac ultimò, *civiles*; *Verba*,
 seu

seu voces *Magnifici Characteris*, sunt undecim generum: seu (α) λέξεις περαμμέναι, voces *translatæ*, (β) σύνθετα ὀνόματα, quæ Aristoteles Lib. 3. Rhetor: διπλᾶ nominat, Cicero appellat ex *Coniunctione facta*, item *verba juncta*. (γ) λυθέντα, seu *soluta*. (δ) ὀνοματοποιηθέντα *facta* (ε) *Allegorica*, (ζ) Sextum locum sibi vendicat *succincta verborum breuitas*, seu *verba ad affectum præcisa*. (η) *iterationes* (θ) *Obliquatio*. (ι) ἡ ὁμοίότης τῶν ὀνομάτων. (κ) *Epiphonematica* (λ) *Poëtica* vel in μεταθέσει seu *transpositione*, vel in μιμήσει seu *imitatione*. *Compositio* denique *magnifica*, fit 7. modis, 1. *ratione Numeri*, quem studiosè confectatur: imprimis, autem, in eo commendantur *Dactyli*, *pæones*, & *pedes*, qui minimum ab iis abluunt. *Damnantur* vero *crebri Spondæi*, *Jambi*, *Trochæi*, vocesque omnes *Brachysyllabæ*, 2. *Magnitudine membrorum*, 3. *Oratione circumducta* & *accummulata*, 4. *Asperitate Compositionis*, 5. *Ordine* & *Structura*, tam *verborum*, quam *particularum*, 6. *Figuris*, & 7. *concurſu vocali-*

calium, Horum quodque, materiam satis amplam, amplè disputandi, nobis præberet, si ita ferret tempus, vel facultas mea; sed instituti rationem habens, nolo in his prolixior esse, contentus, interim, omnia; perbreviter recensuisse.

THESIS VI.

Cum autem teste Gellio singulis Orationis virtutibus, *vitia agnata sint*, pari numero sunt, quæ earum modum & habitum simulachris falsis ementuntur; sic, plerumque, *inflati* atque *tumidi*, fallunt, pro *uberibus*; *lqualentes* & *jejuni dicti*, pro *gracilibus*, *incerti* & *ambigui*, pro *mediocribus*; *Opponitur itaque imprimis formæ dicendi Grandi, Forma frigida, pinguis ac tumida.* Quæ & ipsa in tribus spectatur, in *sententiis*, si nimis *hyperbolicae* sint, aut si de parvis rebus loquamur, tanquam de maximis; in *Verbis*, si *vo-*
ces *barbaræ* & *obsoletæ*, vel *peregrinae*, *Metaphoræ* grandes *tragædiis* minus convenientes adhibentur. Denique na-

scitur frigus e *compositione*, Vitiosi itaq; in hoc genere sunt tumidi & inflati, qui nimis grandes videri cupiunt, qui nihil proprie efferunt, sed plurimas habent periphraſes & prodigioſas metaphoras.

THESIS VII.

Pergo ulterius ad *tenuem ſcribendi Characterem*, pro viribus declarandum, qui, Dionyſio Halic: ἡ λιτὴ λέξις vocatur; Latine, autem, *ſubtilis, ſubmiſſus, attenuatus*, fortaliſſis & recte *deductus*, quomodo Maro in Ecclogiſ dixit: *deductum Carmen*. Definitur *Humilis Character*, qui *ſupra quotidianam loquendi conſuetudinem non aſſurgens, verborum proprietatem amat, Tropoſ & figurat non omnino ſecludit, ſed parcius iſdem utitur, Nihil admodum amplificat, prudenter & ordine, de rebus diſputat, nec ferè a propoſito digreditur. Periodiſ etiam brevioribus conſtat. Conſiſtit hæc dicendi forma, itidem, in *Compoſitione, verbis & rebus*. Res itaque in hoc Characterẽ, ſunt *humiles*, convenientes maximè Epistoſiſ,*

Verba usitata ac communia, in quibus proprietas, perspicuitas, evidentia & probabilitas elucere debet. Compositio est liberior à numerorum vinculis: magnitudinem membrorum & concursum vocalium vitat. apostrophen, certe, prosopopæjan, aliaque vehementiora schemata, relinquit Stylo grandi. Fugienda in eo cola magna. Tenui Characteri est vitium vicinum, forma arida, jejuna ac sicca, quæ & ipsa spectatur in sententiis, verbis & compositione. Sicca est sententia que immittit rem. Ut (exemplum huc reteram Excell. Wossii) *si olim Romam quis appellasset, Latii, vel etiam Italie caput, que rectius caput orbis dicebatur.* Verba jejuna sunt ea, quæ mentem dicentis non exprimunt. Compositio arida est, quæ commata adhibet frequentiora: Exemplum rei esto Hippocrates. Hanc mutilam compositionem amaverat nonnullis in locis Tacitus, ut monet Cæsar Scaliger. Aridum & ficcum hunc characterem, sic declarat Cornificius: *Qui non possunt in facetissimis, verborum attenuatione, commodè versari, ve-*

niunt ad aridum & exsangue Genus Orationis,
quod non alienum est exile nominari.

THES. VIII.

Deniquè, de *Charactere mediocri*, pauca movere animus est, qui inde sic appellatus, quod mediam inter humilem ac grandem obtineat naturam, qui & à Thrasymacho Calcedonio, primum dicitur institutus, inchoatusque; à Platone, verò, atque Isocrate expolitus, ac demum à Demosthene consummatus, in quo, neque vis & copia est *Characteris grandis*, neque acumen *humilis*; i. e. neque majestatem verborum habet, aut gravitatem illam sententiarum, quæ in grandi est, neque est subtili ac pressâ Oratione limatus, aut facetus, florens leviterque ornatus, cujusmodi est *Character humilis*, sed est genus in confinio grandiloqui ac infimi constitutum, mediocres sententias lectiori sermone designans: nec aspernatur figuras, nec multum figuratum est. Numeros adhibet, sed crebrius quam *humilis*, verecundius, quam *Grandis*. Imo,

copiosus est quidem & tropis abundat, sed tamen in amplificando, aliquantulum, intra Grande Genus resistit. *Mediocri Characteri*, opponitur *fluctuans & incertus*: de quo sic Cornificius, qui in *mediocre Genus Orationis profecti sunt*, si pervenire eo non poterunt, errantes perveniunt ad *confine genus ejus generis quod appellamus fluctuans & dissolutum*, eò quod sine nervis & articulis fluctuat huc & illuc; nec potest confirmare & viriliter se expedire.

THES. IX.

Haftenus de *triplici Characteri*, vitiisque his oppositis, verba fecimus, jam, epilogi loco, ceu promisimus, *Characterum* cujuslibet affectiones praecipuas enumerabimus: gaudet autem *character grandis*, seu *magnificus suis affectionibus*, gravitate, ceu quã rationem habet ad substratam materiam gravem, venustate, eminentia, amplitudine, dum in eo ampla elucet verborum structura, Tropi adhibentur vehementiores, metaphora, allegoria, emphasis, hyperbole, ἐπιφαισιαι,

Schemataq; graviora. *Magnificentia* denique Character hicce constat, unde & *magnificus* appellatus. Affectio hæcce, præcipuè, respectum habet ad personam dicentem, sive oratorem ipsum, qui omninò gravis erit, dummodo in hoc dicendi genere graviter dicat. Cum autem occupati fuerint in eo olim hodieque viri excellentissimi, nolo in iis esse prolixus, sufficiat indicasse, Auctores sequentes gravissimos, qui non latinæ modo puritate & venustate cæteris præcellunt, sed insuper omni cultu atque magnificentia stili eminuere & etiamnum exsplendescunt quorum in apice memorandus si quisquam alius est *Cicero, Florus, Livius, Salustius, Tacitus, Seneca*, cæterique.

THESIS X.

Partes ac affectiones renuis dictionis præcipuæ sunt quatuor. Quarum prima est *puritas*, quæ ipsa non quidem nitor est orationis, sed potius nuditas qua

qua nihil admiscetur ornatus. Altera
 virtus est perspicuitas. Observandum
 de cætero, perspicuitatem orationis fi-
 eri non solum cavendo vocabulorum
 Homonymiam & Amphiboliam senten-
 tiarum, sed & adhibendo verba quo-
 tidiana, propria & usitata. Deinde,
 monente sic Aristotele lib. 3. Rhetor:
(Oratio perspicua redditur, si particula præ-
positiva & postpositiva orationem recte di-
stinguant. Nam illarum ea Natura est, ut
una prolata, alteram auditor expectet: eo-
que ita reddi debent quomodo Natura postu-
lat. Tertia est evidentia, materiam sub-
stratam claram reddens, dilucidans ac
veluti ante oculos ponens. Ea cum aliis
modis fit tum imprimis ἀκριβολογία, si-
ve accurata rerum expositione, qua ni-
hil redundat nihil deest. Quarta & ul-
tima est probabilitas, cujus beneficio fa-
cile creditur oratio. Caractere hocce
humili usi fuere, ut nos docet Vossius,
Cicero in Epistolis & Dialogis, Terentius,
ad hæc Plautus, Cornelius Nepos, Aurelius
 Vi-

Victor, Suetonius, Julius Caesar, &c. Proprietates denique: *medii Characteris*, quas & antea nominavimus sequentes sunt: *Venustas, suavitas, pulchritudo, urbanitas, Romanus pudor, salbedo.* Medio in isto Characterere versari fuere Auctores, supradictis, tam ætate, quam *Sitilo* proximi: *Quintillianus, Agellius Q. Curtius, Vellejus Paterculus, Plinius, Justinus, Macrobius* & iterum *Cicero*: sitilo jam, & quod reliquum est, Te Lector benevole, rogo, hisce contentus esse velis rudioribus, licet. Brevitatem, præterea, meam excusabit, cum in hisce peritia levior, tum propositi ratio, interim, conatibus hisce meis fave

& vale!

SOLI DEO GLORIA.



Cum de triplici scribendi genere
*Dissertationem suam egregiè concinnatam
publico discursu defenderet.*

Studiosus Juvenis

DN. MAGNUS AURICOLA,

*S*cribere quid deceat calamo depingis acuto
Unde tibi laudē gloriāq; acq; viris opimam,
Perge velut pergis, plures depromere fœtus
Ingenii: ut niveus tibi surgat honosq; decusq;
Serta direntia dum nectet tritonia Pallas,
Tempora quæ cingent ceu præmia larga labo-
rum.

*Properè quidem sincero tamen
affectu adjecit*

M

A. Hasselqvist/ Jun.

*M*är som ett ljter Ding nå stoort af warde
wärdar/
Så är det mehra rare och meyr at undra på/
Ehen stora Dygd som det af GUD så kunnat så
Då man af det som stoort hys/ mindre nytta
märker:

Wren

Men som en dygd är tung och Lärdom svår at bära/
Så fins i mindre krop/ än mängen hoppas ha
Så stoor förståndigheet som större ålder draa
Man åsta en har sedet/ och sig än måste låra/
Herr Author i sin Wärd här synns/ och det wissar/
Mehr än jag löfwa kan med några swånsta raar/
Han för sin lagde flit et billigt looford haar/
Och Wärdet allgemehnt sin snälla Wärdar prissar.

Således sägnat sig öfwer sin
Wäns fort komst
ERICUS TUFWA.

Ad Praestantissimum & Politissimum
DN. RESPONDENTEM,
Amicum honorandum.

Elegantissime sane haecce verba citante Ci-
cerone, protulit Poëta Ennius
- - - Concedat laurea lingvæ,
Quibus verbis quid aliud innuit laudatif-
simus Poëta quam nullum unquam honorem
ne quidem militarem lauream majoris esse æ-
stimationis Eloquentia, illa rerum humana-
rum Regina civitatumque domina. Hac enim
gaudentes, sese omni tempore supra reliquos
mortales extulerunt qui non modo inter æqua-
les

les suos floruerunt & amicitiam eorum o-
mnium meruerunt quâ condimentum vitæ est,
sed quoque in omnem posteritatem immortale
sibi comparare nomen; Quod nulla tempo-
rum historie non satis abunde probant. Vi-
deris mihi Eruditissime Dn. Respondens,
hoc accurata, mentis trutina expendisse dum
nomen tuum declaraturus dignum erudito-
rum numero præ aliis materiam dissertatio-
nis ex mediatullo seligisti, eamque ejusdem E-
loquentie luce adeo collustrasti ut amplius
ne mini non constet ingenti agrum assidue co-
lentes vel Tuo insigni exemplo semper de spe-
rato fuctu esse posse certos, Teque in hoc non
perfunctoriam meruisse laudem. Gratulor er-
go Tibi Amice delecte ingenii felicitatem &
prosperum studiorum successum, Gratulor no-
stræ nationi de tam honorabili membro, Gra-
tulor denique mihi de amico fideli. Faxit
D. O. M bene cœpta tua & egregie continu-
ata studia ad habitam brevi perducautur, &
omnes Tibi bene cupientes inde capiant soli-
dum gaudium interquos se semper numerabit.

officiociss.

CARL. LAURENTZ.

Pereximie

DN. RESPONDENS,

Conterranee & Amice singularis.

Omnes sinceri & pii homines cum aliquid boni amico & præsertim conterraneo accidit, læto animo gaudent, sic Pereximie Dn. Patriota, tanto tuo in studiis audito progressu maxima lætitia affectus tui; Cum doctam dissertationem de stilo ejusque triplici caractere, publicè examinandam in lucem protrahas, propterea gratulor tibi & voveo, ut DEUS T: O: M: tua incæpta secundet, ac tibi amplum scientiæ & doctrinæ cumulum, addere velit, ut demum in laboris præmium, lauream honoris consequaris, Vale;

Gratulabundus posui

OTTO FLOOR,

Hess. Nyl.

*Ad Juvenem artium liberalium dotibus
conspicuum,*

DN. MAGNUM AURICOLAM,
Conterraneum honorandum dum suam
de STILO ejusque triplici caractere
defenderet sententiam.

Bene dixit quidam veterum, Ars non ha-
bet osorem nisi ignorantem; nam
quis mortalium is est, nisi mente captus fue-
rit, aut literas omnino ignoret aut spernat,
qui artes liberales, earumque cultores odio
prosequatur. In eorum vero numero qui li-
teras maximi faciunt te amice optime inde-
niri minimè dubito, cum & hoc ipsemet satis
suffICIENTERQUE comprobet dum materiam sub-
limem scilicet de Stilo defendere paras. Gra-
tulator itaque egregia ingenii tui dona, quæ
te ad præclara quævis appetenda incitarunt,
DEUM quoque T: O: M: humilimis solli-
citabo precibus dignetur benedictionem studiis
tuis largiri, ut in summi sui nominis glo-
riam, reipublicæ emolumentum, tuum tuorum-
que gaudium ac solatium vergant.

hæc pauca gratulabundus
adjecit

BENED. KROOK,
Nyland.

Sin Högtåhrade Her Landzman
Ehreborne och Wällärde
Herr MAGNO AURICOLÆ,
Des Berömlige i Booklige Konster/
nu i synnerheet wid sin med stor slite och Lär-
dom sammanskrefne Disputations förswa-
rande/ uwiiste/ gjorde framsege
således.

SONETTO.

En på Parnassi klint wil Konstgudinnan söka/
Och wäg til Helicon sig så fast den än lång/
Sampt wid des börtand' båd' bestwärlig äre
och trång!

Han Siäle. Sohlens Ljus en dunkla bört men öka/
Det har Her Landzman min och giert samt en
at öfka

För sig nu hållet swärt/ från börtjans swära gång/
Til en med Roser strödd/ och där de Mulers
Sång!

Hoopstämna en han wist äth Dugd sit Offer öfka/
Dy lär wist Phœbus sielf och Pallas bägge wela
Hans wälförrenta Edhy med stor förmon
uthdela!

Är honom en långt til/ ja Fama god och snälla
Sin Mun bereder at om honom tala wäll/
Besfordrand' honom här til ett berömlige Dyckte
Som warar sedan Siäl och Kropp är sönderhyckte.

Wälment Gratulerar

ANDR; IGNATIUS. And. Filius.

Helsingf. Nyl.